

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5557

Autre(s) référence(s) : Bates 30 / ARTEM 2841 / Round 412

Auteur(s) : Roger Porchet [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bernay, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : douteux

Datation : 1080, 2 juin

Lieu d'émission : Lillebonne

Action juridique : donation

Description de l'original : chirographe

Langue du texte : latin
chirographe

Analyse

Roger Porchet, Hugues de Bolebec, Gautier Sifland, Guillaume Duncins et Ade de Raphetot donnent à l'abbé Vital et aux moines de Notre-Dame de Bernay l'église Saint-Michel de Bolebec avec tous leurs tonlieux de Bolbec et leurs moulins, dix mesures et la chapelle Saint-Martin. Leur seigneur Gautier Giffard concède ces donations. Cet acte a été concédé par le roi Guillaume à Lillebonne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Du Monstier Arthur, *Neustria Pia seu de omnibus et singulis abbatibus et prioratibus totius Normanniae*, Rouen, J. Berthelin, 1663, p. 401-402.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 286-287.
- c. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, the Acta of William I (1066-1087)*, Oxford, Clarendon Press, 1998, p. 188-190, n° 30.

Dissertation critique

La datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta*, n° 30, p. 188-189). Cf. Le Prévost propose la datation en 1061 comme c'est écrit sur cet acte, mais il pense que cette charte « n'est pas authentique, Guillaume le Conquérant n'ayant pris le titre de roi qu'en 1066 » (voir DELISLE/PASSY, t. 1, p. 286).

Selon A. Le Prévost : cette charte « n'est pas authentique, Guillaume le Conquérant n'ayant pris le titre de roi qu'en 1066 » (voir DELISLE/PASSY, t. 1, p. 286).

Texte établi d'après b

Qui piorum fructus operum ad aream Domini deferre non possumus, ulmus saltem infructuosa vinee palmites sustentare conemur. Et quia remuneratorem omnium in iudicio dicturum non ambigimus : quod uni ex fratribus meis fecistis, michi impendisse cognoscatis, hac spe salutifere vocis roborati, ut hanc Domini sententiam securi

audiamus, totis nisibus laboremus. Scimus enim quia a suo non fraudabuntur desiderio quos pauperum Spiritu Sancto sublimaverit intercessio. Est igitur equum ac salutare consilium ut eis temporale impendamus solatium, quorum precibus ad eternum obtamus transire consortium. Ego itaque Rogerus Porchet, qui in multis offendisse me doleo, ac propter hoc servorum Dei suffragiis indigeo, Deo ac Sancte Marie de Bernaco, atque domino Vitali, ejusdem monasterii abbati, et monachis inibi Deo famulantibus, quartam partem ecclesie Sancti Michaelis de Bolebec concedo, atque filiis meis Lamberto scilicet et Roberto atque Willelmo concedere facio. Ego etiam Hugo de Bolebec, ut in regno Dei vel ultimus asscribi merear, eidem monasterio et abbati atque predictis monachis aliam quartam partem ejusdem Sancti Michaelis dono. Nos autem, ego Walterus Sifland et Willelmus Duncins, servis Dei participari cupientes, aliam quartam partem, quam a patribus nostris possidemus, predictis servis Dei pro salute nostra concedimus, atque Ricardum Fraisnel, dominum nostrum, concedere exoptamus. Ego igitur Ricardus Fraisnel, hujus beneficiis particeps esse desiderans, pro remedio anime mee et pro salute parentum meorum atque omnium heredum meorum, quod isti fideles mei ecclesie Sancte Dei Genitricis Marie de Bernaco pia intentione offerunt, pia devotione concedo. Et ego Ada de Raphetot, commissa que peregi deleri cupiens, pro remedio anime mee, dimidiam partem quarte partis ejusdem ecclesie ipsi monasterio et prefatis servis Dei concedo. Concedimus etiam eis, nos pariter hic nominati, decimam totius thelonei nostri de Bolebec et omnium molendinorum nostrorum atque bercuriarum, et in ipsa villa concedimus eisdem decem mansuras, et nominatim mansuram Odonis presbiteri, et in eadem parrochia concedimus eis capellam Sancti Martini, et quicquid ad ipsam pertinet, ut proprium membrum ecclesie Sancti Michaelis. Et ut hoc donum ratum atque firmum permaneat, domino Waltero Gifardo, quem de terris nostris patronum cognoscimus, concedere supplicamus. Ego Walterius Gifardus hoc desiderium baronum meorum, scilicet Rogerii Porchet, Hugonis de Bolebec, Waiterii Siflandt, Willelmi Duncins, atque Ade de Raphetot, collaudans, quod Deo et Sancte MARIE de Bernaco, ac domno Vitali abbati necnon et monachis sub ejus regimine Deo servientibus concesserunt, devotissime concedo. Et hanc concessionem super altare Sancte Dei Genitricis MARIE de Bernaco impono. † Inde sunt testes : Willelmus Judas, Rotbertus del Bec, Willelmus de Greinvilla, Radulfus, filius ejus ; Radulfus Bennengel, Rotbertus de Spouvilla, Petrus de Chenovilla, Willelmus, filius ejus ; Gulbertus de Bolebec, forestarius regis ; Gothmundus de Bolebec, forestarius regis. † Ex parte Sancte MARIE atque Vitalis abbatis, testes : Goisfridus de Bernaico, Radulfus Pichenoth, Hugo Affagardus, Rogerius Scalardus, Adelelmus, aurifaber ; Osbernus, filius Hormanni ; Richoardus del Plancet.

† Acta et recitata atque concessa ante serenissimum regem Willelmum, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo, apud Illebonam, in concilio, tertia feria sollempnitatis Pentecostes. Testibus : Willelmo, Rotomagensi archiepiscopo ; Odone, Baiocense episcopo ; Hugone, Luxoviensi episcopo ; Michaele, Abrincensi episcopo ; Gisleberto, Ebroicensi episcopo ; Willelmo de Britoilo, Rogero de Montegermeri, Rogero de Bellomonte, Rotberto et Heinricho, filiis suis ; Radulfo de Chunchis, Hugone de Monteforti, Walterio Gifardo, Rogerio Bigoth, Nigello de Constantino vicecomite, Willelmo Berthramno.